

21781 Cop. 26-606 Ar



ISIDORI LASAUCA,

ET COLLANTES

ORATIO

HABITA IN THEATRO

SCHOLAR. SOC. JESU

CAESARAUG.

PRO LUDICRA PRAEMIORUM

DONATIONE.

Dic 17. Junii

Anni 1763.



CAESAR-AUGUSTAE:

In Typographia FRANCISCI MORENO.

DABITUR SCENAE TRAGOEDIA  
BRUTUS DICTA,  
CUIUS EST  
ARGUMENTUM.

**N**ulla perduellibus venia. Iuratae semel fidei  
qui desit, vel Patre Iudice nunquam non  
perit supremo supplicio. Id L. Junius Brutus pri-  
mus Consul à Romanis creatus exemplo docuit,  
cum filios suos, quod cum Aquiliis, & Vitelliis  
coniuraverunt contra Rempublicam, virginis cae-  
sos securi percussit, & Tragicae Actioni isti ex  
Carolo Porèe excerptae, argumentum dedit.

PERSONAE.

Brutus Rom. Consul.	Titus Bruti filius natu-
P. Valeritus Consul al-	minor.
ter.	M. Valerius Publii filius.
Tiberius Bruti filius na-	Sulpicius Praefectus co-
tu maior.	hortis.

## ORATOR LECTORI.

**Q**UOD solemne fuit his Scholis, quae in Caesaraugustano Collegio Societati Jesu iamdiu commissae fuerunt, statim nimirum temporibus, industriae suae, ac laboris publicum facere periculum, id omnium maximè probari, & eorum qui iuuentutem erudiunt dignitatem commendare visum est. Hoc sequuti consilium maiores nostri amplissimos gloriae fructus ceperunt, post verò cum de studiorum ratione promulganda ageretur de huiusmodi periculis faciendis cautum est, ac diligentissimè provisum. Ad hanc ergò rationem tota ludorum istorum formula exigitur, nec de illa longiore oratione ad vos referre opus esse crediderim. Quid enim? Legibus Praemiorum sanctè paruimus, dies, dieique hora datur, custodes ne quis egrediatur, neu colloquatur apponuntur, volenti scribendi tempus prorogatur, dictata occulta significatione notantur. Omnia ordine, omnia accurate aguntur, unusquisque nervos omnes in scriptione elaboranda contendit, nec credam de suis exercitationibus Persii illud rectè dici posse Sat. I. :

*Nec pluteum caedit, nec demorsos sapis ungues.*

Sed en tibi oratiunculam, quam de donationis Praemiorum utilitate meo utens iudicio, meo-

4

que stylo adornavi. Quod si alicui severioris critices minus fuerit persuasum, licet experiatur, quid meum possit ingenium. Quin & scriptionis genus ipsum se esse testatur meum, continuo enim manum ego de tabula, si Magister accessisset, atque uberrimam tunc, & illustrem orationem videres.



ORA-

# QRATIO.



I quis vestrum Viri Clarissimi pri-  
stinam huius loci formam , ac ve-  
terem consuetudinem requirens  
miretur novam ; is modò consi-  
lii nostri causas didicerit , mira-  
ri profectò desinet , totamque  
agendi rationem comprobabit . Sic enim ab iis ac-  
cepimus , qui suum de erudienda iuventute iu-  
dicium litteris testatum reliquerunt , nulla re  
magis Adolescentium animos , quām aemulatio-  
ne , & laude commoveri , atque inflammari so-  
lere . Quod quum praeteriti temporis , & nostri ,  
viri doctissimi , mirum in modum commendaverint , id inde Scholarum nostrarum disciplina  
repetens in tenerae aetatis animis informandis  
sanctum habuit , haberique mandavit . Hoc saepè  
alibi Certaminibus , atque omni Exercitationum  
genere effectum est , coque spectant hi Littera-  
rii Ludi , quibus ex hac omnium ordinum cele-  
britate , ac frequentia , quantam vix me unquam  
vidisse memini , plurimum accessit decoris , at-  
que ornamenti . Ego verò , quām sit utilis , ac  
propemodum necessaria studiosis optimarum arti-  
um styli exercitatio , cum Praemiorum Dona-  
tione coniuncta dicere aggredior , Clarissimi Vi-

ri , non quòd vobis huiusmodi utilitas , aequè ,  
 ac mihi probata non sit , sed ut nostri animi ad  
 laudis , & contentionis studia acrioribus stimulis  
 excitentur . Vos , quibus hi ad Eloquentiam co-  
 natus pro vestra humanitate , atque amore litterarum  
 gratissimi semper fuerunt , vos , inquam ,  
 ex quorum iudicio sapientissimo , ita me Dii adiu-  
 vent , & acerrimo laborum nostrorum fructum  
 amplissimum expectamus , dicenti mihi aequos ani-  
 mos , atque aures attentas adhibete . Iam verò ne-  
 mo unquam dubitaverit , nisi qui in summa rerum  
 omnium ignoratione versetur , ex Adolescentibus  
 studiosis , ut quisque est optimus , sic eum duci lau-  
 de , & gloria commoveri . Ipsius Adolescentis vul-  
 tus , seu abiectus , ac demissus , sive elatus , &  
 exultans minimè obscuris significationibus , vel  
 me tacente demonstrat , quām nolit pari cedere ,  
 quām gaudeat vincere superiorem . Observat di-  
 ligenter eorundem studiorum socios , & comi-  
 tes , ad ipsorum in litteris conatus , & successus  
 sedulò advertit animum , inde reputans quan-  
 tum eniti debeat , quid sibi consilii capiat , ne se  
 posthabito alii videantur fuisse praestantiores .  
 Pudet interdum sui Adolescentes egregiae indo-  
 lis , superioris temporis suam ipsi cessationem ta-  
 citis sententiis damnant , nullumque sibi in reli-  
 quam tempus laborem recusandum constituunt ,  
 quo victoriae optatam gloriam adsequantur .

Mi-

Mirum est, Clarissimi Viri, quanto animi impetu concitatus, qua vi naturae, atque ingenii elatus ad victoriam unusquisque contendat, quam acres in hoc stadio sentiat stimulos, ut menses hac alacritate plurimis annis oscitantia, atque inertia consumptis liceat anteferre. Quaenam verò illae sunt exercitationes, quibus ad palmam tantopere contenditis? Fatemur enim verò, ac prae nobis ferimus, non hic sponderi, aut reconditam maximarum rerum notitiam, aut Historiae cognitionem admirabilem, aut Scriptorum plurimorum multiplicem, variamque lectionem, haec, ut nemo magis, probamus nosque in eis abdi, cum ita res feret, illisque, immorari animum induximus. Nunc quam excollimus eloquentia, aliam videtur rationem postulare. Etsi enim ex omni Historia, & eruditione oratio crescat, scriptio tamen prius orationis aliqua forma, dicendique facultas debet comparari. Caput enim est multa, & diligenter scribere; styli verò exercitatio maximam ponderis, ac laboris vim (*a*) secum affert, ut pueri ancipiti contentione distracti omnia simul ex instituto agere,

---

(*a*) *Caput autem est, quod (ut verè dicam) minimè facimus, est enim magni laboris, quem plerique fugimus, quam plurimum scribere.* Cic. de Orat. lib. I.

ageré , & complecti posse videantur . Quare id  
nos egimus , ut post idoneam praeceptorum cog-  
nitionem , usu deinde , qui facile omnium Ma-  
gistrorum praecepta superaret in optimo quoque  
scriptore evolvendo , atque imitando (b) versare-  
mur . Si autem hac assiduitate , & constantia di-  
cendi facultatem aliquam adepti fuerimus , tunc  
vero maximum nos operae pretium fecisse iudi-  
cabinus , tunc ista Praemiorum donatio omnium  
nostrum utilitati , ac litterarum bono suscepta ,  
non modo optato fructu non careret , sed etiam  
gloriam nobis pareret singularem . Videtis huius-  
modi exercitatio quām uberem ferat eloquentiae  
fructum , sed nisi optimarum artium studia iace-  
re velitis , necessaria existimabitis haec virtutis in-  
citamenta , quibus Adolescentes de ingenii gloria  
dimicantes tantopere adiuvantur ; et si enim elo-  
quentia prae caeteris artibus iucunda semper om-  
nibus visa sit , ac per se ipsam omnia vitae tem-  
pora , omnes aetates mirifice oblectet , tamen  
laude maximē permovetur . Quod cūm per se  
notum , ac perspicuum est , tūm etiam exemplis  
potest declarari . Vos ipsos hac de re consulo ,

cla-

---

(b) *Ac diu non nisi optimus quisque , & qui cre-  
dentem sibi minimē fallat legendus est , sed diligen-  
ter , ac penē ad scribendi sollicitudinem . Quint. lib.  
10. cap. 1.*

clarissimi Viri, an existimatis Ciceronem, quantus ille est, summum nimirum suae aetatis, atque omnium temporum Oratorem nos fuisse habituros, nisi Q. Hortensium dicendi laude florarentem superare contenderet, nisi eum dies, noctesque Demosthenis nomen ad gloriam exacueret? Memini Sapientissimum Virum, contentiōnem in Eloquentiae studio cum bello comparare, quod multò plures quam otium, ac praestantiores Duces ferre consuevit: sic in Eloquentiae pulvere, atque acie eo acrior quisque fies, quò saepius in arenam descendas, quò maiori vi, atque opibus utrinque (*c*) decertetur. Quare, optimi Adolescentes, hunc conatum, ardorem istum, qui ex oculis emicat, quique vestram testatur alacritatem, conservate; facite, in mentem veniat maiorum vestrorum gloria, atque ut Themistoclem illum Miltiadis trophya obiecta animo sollicitum, & insomnem agebant (*d*) sic vos assiduè de domestica gloria cogitantes vix conquiescite, quam de vobis hi amplissimi viri expectationem habent, strenuè vincite, nec cura, & cogitatio vestra à litteris unquam discedat, aut aberret. Vestrum est hoc, Adolescentes,

---

(*c*) Quint., seu mavis Corn. Tac. de caus. corrupt. eloq.

(*d*) M. T. Cic. Tusc. Quaest. IV.

10

tes , vestri ingenii , atque aetatis , videte , ne hic  
vester ad optimarum artium cognitionem impe-  
tus retardetur , neve aliquid admittatis , quod mi-  
nus maiorum vestrorum gloriam retinere , ac si  
fieri posset , amplificare contendatis .

D I X I .



## VICTORES

RENUNCIATI SUNT PRO FREQUENTIS-  
sima corona , qui praemia reciperent. Solutae  
orationis praemia hi sunt adsequuti  
Rhetores :

**P**raemium primum D. Isidorus Lasaúca.  
Praemium secundum D. Thomas Lezaun.  
Praemium tertium D. Andreas Lasaúca.  
Praemium quartum D. Raimundus Roio.  
Proximus his accessit praemio dignus Josephus  
Andrés.

PRAEMIA VERO CARMINIS TULERUNT  
quos subiicio Rhetores

**P**raemium primum D. Isidorus Lasaúca.  
Praemium secundum D. Thomas Lezaun.  
Praemium tertium D. Andreas Lasaúca.  
Praemium quartum Josephus Andrés.

IN TERTIA GRAMMATICORUM CLASSE  
meritus , & consequutus est

**P**raemium primum D. Antonius Guzmán.  
Praemium secundum Joachimus Fèbas.  
Prae-

Praemium tertium D. Aloisius Villava, & Aibàr.  
Proximus his praemio dignus fuit Vincentius  
Molina.

IN SECUNDA GRAMMATICORUM CLAS-  
se tulerunt merito suo praemia

**P**raemium primum D. Ignatius Assensio.  
Praemium secundum D. Hilarius Benages.  
Praemium tertium Leo Xea.  
Proximus his accessit praemio dignus Emmanuel  
Iglesias.

IN INFIMA GRAMMATICORUM CLASSE  
consequutus est

**P**raemium primum Laurentius Zuanel.  
Praemium secundum Thaddaeus Ferrando.  
Praemium tertium Bruno Mallada.  
Quibus proximè accessit praemio dignus Lau-  
rentius Ibañez.

